

*DISPV TATIO  
DE  
MODIS INVESTI-  
GANDÆ DEFINI-  
TIONIS,*

*Quam  
PRÆSIDIĒ  
MICHAELE PICCARTO,  
LOG. ET METAPHYSICES*

*Professore Norico,*

*Publicè defendendam suscipiet*

*NICOLAUS ZUBERUS,*


*AL TORPHI,*

*Ad Diem 7. Aprilis.*

*A N N O*

---

*c I c I c x i x .*



*NORIMBERGÆ*

. diss. A Typis Abrahami Wagenmanni.

46


*16.*

*a. LXXXIX. 46*



MODIG INNENSTADT  
- LINIENSTRASSE

MICHAELE BICCIACARO  
- STREITWEG



# DISPUTATIO

De

MODIS INVESTIGANDÆ

DEFINITIONIS.

*Thesis I.*



Xioma est Aristotelis non uno loco ab ipso allatum; Quidquid sciamus, scire nos vel per Definitionem vel per Demonstrationem. Unde sicut Demonstrationis magna habenda ratio ei, qui in scientijs cum fructu versari cupit, ita Definitionis quoq; quippe quæ non minus in rei cognitionem nos ducit, ut taceam, quod quandoq; ex ipsâ Demonstratione quoq; tamquam fructus resultat.

*II.*

Eius investigandæ modos sive ad eam perveniendi rationes hac Disputatione considerabimus: ac primū quidem de eâ dicemus, quā in Thesi primâ attigimus.

*III.*

Demonstrationem docet Aristoteles esse Accidentium, eorumq; non communium, sed propriopm, quorum certa aliqua & immediata causâ est in ipsâ essentiâ subjecti, utpote à quâ Accidentia illa fluunt necessariò, sic ut datâ tali essentiâ necessariò tales dentur affectiones, & datis talibus affectionibus necessariò ponatur talis essentia.

*IV.*

Non verò Substantiarum, quippe quæ sui caussam

A 2

non

non habeant aliam extra se, unde nec per aliquā causam demonstrari possunt. V. G. Non per aliquam caussam Homo est homo sed per & propter seipsum.

V.

Hujus Demonstrationis fructus, inquit Aristoteles, est Definitio plena & perfecta Accidentium, thesi solum terminorum ab eādem differens, hoc est πώσα seu casu; Demonstratio enim sic in obliquis casibus, Definitio concipitur in recto.

VI.

Exēmple res fiet illustrior: Quæritur cur tonitru fiat in nubibus? Cur Homo sit Docilis? Respondetnr ad prius Problema, Quia exstinguitur ignis. Ad posterius, quia Homo est ratione prædictus; Hinc oriuntur Demonstrationes hæc: Prior

Omnis exstinctio ignis excitat sonum,

In Nubibus exstinguitur ignis

In Nubibus igitur excitatur sonus, qui proprio quidem nomine appellatur tonitru ad differentiam aliorum sonorum.

VII.

Ex hac Demonstratione fluit perfecta Definitio Tonitrus: quæ & essentiam, ut loquimur in Scholis Logicis, & caussam, τὸ εἶδος complectitur, estq; hæc: Tonitru est sonus in nubibus per & propter exstinctum ignem.

IX.

Posterior Demonstratio est talis:

Omne Rationale est Docile, hoc est, aptum ad percipiendum facile tradita.

Omnis Homo est Rationalis,

& omnis Homo est Docilis.

Hinc

Hinc Definitio Docilitatis hæc: Docilitas est aptitudo in Homine ad facile percipiendum tradita per & propter rationem.

IX.

Hic igitur est unus modus investigandi Definitionem, proprius Accidentium, quo Definitione educitur ex Demonstratione, estq; hic perfectissimus & firmissimus, de quo multa Philosophus 2. Post. atq; hujus ratione propriè dictum est, πὸὺ ἡ ἐστὶ εἶναι πόλεις τῆς γνῶσεως.

X.

Alter modus vestigandæ Definitionis substantijs maximè servit: Estq; hic: In definiendis speciebus respiciendum esse ad singularia videndumq; quid illa habeant commune, quod tamen in quid est de ipsis prædicetur: Illud enim commune definitionem speciei suppeditabit: In Definitione Generum eadem περάξις notanda respiciendumq; ad species Generi subjectas. Quæ verò sint prædicata Essentialia Loci Dialectici libri IV. Topicí docebunt.

XI.

Ad hunc modum facit ex sententiâ Aristotelis aliquid Divisio, tamquam ministra: quam tamen Plato voluit esse Dominam & vim habere demonstrandi Definitionem: quod Philoponus quidem à Platone removere conatur, sed frustrà, ut ego quidem arbitror..

XII.

In Sophistâ enim, ubi varias exposuit artium divisiones ac varia genera, ita colligit tamdem secundam Sophisticæ artis definitionem: Age nunc jam, colligamus dicentes, apperere secundo: Sophisticam esse &c.

A 3

XIII.

XIII.

Et paulò deinde inferius colligenstertiam Sophistæ Definitionem sibi habet: Hosp: Illud igitur genus artis acquirendi perpetuo tu appellabis Sophisticum? Theætet. Necesse est: τῷ γὰρ λόγῳ δὲ συνακολούθειν: nam rationi assentiri oportet.

XIV.

Quibus locis cum primum dicit: Age nunc jam colligamus, & deinde: Necesse est, nam rationi assentiri oportet: quid aliud significare videtur, nisi necessariâ ratione & illatione ex divisionibus colligi definitionem.

XV.

Neq; hoc latuit Galenum: is enim 4. de diff. pulsuum cap. 7. expressè dicit: Plato in Sophistâ & Civili docet nos atq; exercet, quemadmodum ex viâ & ratione dividendi faciamus Definitiones. Hoc ferre non potuit Philosophus noster, itaq; 2. Post. refellit opinionem istam, negatq; Divisionem habere τὸ βιαστικὸν τῆς αἰποδέξεως.

XVI.

Fundamenta ejus ibi loci sunt: quia Divisio videatur petere id quod in principio: quia non sufficiat omnibus Quæstionib⁹, quia peccet in leges Syllogismi, & quæ alia eo loco affert: Interim non negat μηδὲν οὐ μόριον εἶναι Methodi definiendi.

XVII.

Vestigat enim Divisio Differentias, & veluti institutor exponit merces, unde definiens eligat idoneas suo Instituto, quod ipsum docuit quoq; 7. Metaph. c. 36. II. Ordinem tradit in partibus Definitionis, proponit enim primo loco latiores differentias, deinde minus latas, quæ ordinis ratio in definitionibus quoq; observari

vari debet. Deniq; Divisionis beneficio accidit, ut nihil in Definitione eorum, quæ in quid prædicantur, omittatur.

XVIII.

Atq; ad hos usus adhibuit ipse Aristoteles Divisionem: In definitione Naturæ, 2. Phys. Motus, 3. Phys. Animæ, 2. de Animâ cap. 1. Seminis, in lib. 1. de Gen. Animal. c. 18. & alibi pluries.

XIX.

Est porrò & aliis modus investigandi Definitiones familiaris Galeno; quem sic proponere lubet: Ex Aristotelis quoq; sententiâ lib. 6. in primis Topico declaratâ constat in omni definitione colligendâ procedendū esse à Notioribus: Illud verò Notius duplex est, alterum sensui alterum intellectui. Ex utroq; conflatur Definitio.

XX.

Exemplo rem illustremus: Videamus quomodo Galenus exstruat morbi Definitionem. Primum sumit hoc *ἐναργῆς*, hoc est sensui notum: Actiones à sanis & di integras: V. G. manum apprehendere, pulmonem respirare, oculum videre, aurem audire: Unde sensui hoc quoq; notum est, ab ægris seu morbo affectis actiones non integras.

XXI.

Hoc *ἐναργῆς* sequitur *Φανόμενον*, hoc est intellectui notum: Cum enim ab hoc homine aliâs edantur actiones integræ, nunc non edantur, esse aliquid colligit ratio præter illius hominis naturam, quod actiones eius naturales & solitas inhibeat.

XXII.

Ex priori igitur & sensui noto naſcitur mihi hoc: Sanitas est Actionum naturalium aut voluntariarum integritas: Ergo: Morbus est Actionum impedimen-

tum vel læsio. Ex posteriori & intellectui noto nascitur illud: Sanitas est constitutio secundum Naturam; Ergo: Morbus est constitutio contra Naturam.

*XXIII.*

Ex his duobus Notis prodit mihi Definitio Morbi: Morbus est constitutio seu dispositio præter Naturam lædens actiones. Sed quia actiones etiam lædunt causæ morbificæ: addendum discriminis caussâ: primò. Hæc est Methodus Galeni, qua & Definitionem pulsus indagavit, & Definitionem optimæ constitutionis in lib. prop. Definitionem lassitudinis, in 3. de tuend. valet. Virtutis, & de Decret. Hipp. & Platon.

*XXIV.*

Aristoteles quoq; sic i. Metaph. Definitionem Sapientiæ inquisivit, Definitionem quoq; loci, 4. Phys. & Augmenti, in lib. de ortu & interit.

*XXV.*

Observandum & hoc esse quasdam rationes Philosophis λεληθέτως definiendi, sic ut definiant, cum tamen minimè definivisse parùm oculatis videātur; Id quod non ignoravit quoq; Galenus. Lib. enim 4. de Diff. pulsuum cap. 2. admonet, non semper esse exspectandas istas expressas definitiones, sed satis esse, si rerum natura copiosè tractetur diligenterq; evolvatur.

*XXVI.*

Sic Composita non facilè definivit Aristoteles, sed formas solum, quoniam composita ipsa, quod sunt, hoc aliquid, quodq; certam speciem habent, formæ potissimum referunt acceptum: Unde perceptâ formæ vi continuò ipsorum quoq; essentia intelligitur: πάντι γάρ τῷ ἐνύλῳ οὐτὸς εἰδότος ὁ λόγος, inquit Alex. ult. quæst. lib. I.

*XXVII.*

*XXVII.*

Hinc non animalis sed animæ vides ab Aristotele  
afferri definitionem, non mixti corporis sed mixtio-  
nis, non colorati, sapidi, odorati, putris; sed coloris,  
saporis, odoris, putredinis. Sic Naturæ definitionem,  
accuratè Philosopu tractavit; eâ enim constitutâ, qui  
nescire se dicat, quid sit corpus Naturale, eum parūm  
judicio valere censuerim. Sic Generatio & res genita  
idem significant. *XXVIII.*

Aliquando tamen contra facit & concretum consi-  
derat ejusq; notas proponit, indeq; Abstracti essenti-  
am & naturam deprehendi posse ait. Sic 3. Ethic. notas  
Viri fortis proponit, deinde subjungit, Ex his constare  
potest, quid sit Fortitudo. *XXIX.*

Docet idem Philosophus uno contrario definito,  
alterum despici, quia ex unius contrarij Definitione,  
alterius contrarij definitio facile possit colligi.

*XXX.*

Sœpè etiam Philosophi separatim docent Genus  
& per illud similitudinem essentialē, & rursus sep-  
aratim differentias & per illas dissimilitudinem essen-  
tialē; numquam tamen connectunt, quos si tu ne-  
glectæ definitionis arcessere velis, hospes in Philoso- *Vid. 4.*  
phia videri possis. *XXXI.* *Phys. c. 1.*

*t. 8.*

Philosophi quoq; nostri monitum est: Si universa-  
le aliquod multas sub se contineat species multisq; dif-  
ferentijs distinctas, præstare enumerare istas differen-  
tias & species, quam universum definire. Siquidem  
dum enumerantur, nominantur ac quasi conferun-  
tur inter se, emicant similitudines dissimilitudinesq;  
earum, ex quibus deinde specierum definitiones col-  
ligi possunt, atq; adeo ex illis natura quoq; Universi.

A 5

*XXXII.*

*XXXII.*

In Menone. Verba sunt i. Polit. ubi de Virtutibus primarum societatum: οἱ γὰρ οὐαθόλγ λέγοντες ἐξ απατώσιν ἑαυτὸς; πολὺδε ἄμενον λέγοσιν οἱ ἐξ αερθμάντες, ὡστερ Γοργίας, τῶν στων ὁ εξ ζομένων: In Menone qui universè definiunt, decipiunt seipso, multò autem melius dicunt, qui ipsas species enumerant, ut Gorgias, quam qui Universale definire præsumunt.

*XXXIII.*

Idem & 2. de Animâ monet t. 30. Ut, inquit in figuris una cōmuniis ratio fieri potest, quæ cunctis quidem figuris accommodabitur, nullius autem erit propria: Sic & in animabus dictis fieri potest. Ridiculum igitur ζητᾶν τὸν κοινὸν λόγον καὶ ἐπὶ τότων καὶ ἐφ' ἐπίρων, & quæ plura ibi sequuntur.

*XXXIV.*

Atq; hæc fortasse causa est, quare Galenus nullam adulterit expressam Febris definitionem, propter multitudinem videlicet differentiarum. Quod si in Synonymis, quæ multas sub se habent species, enumeratio specierum præstat definitioni universali, quanto magis in illis ratio dicta obtinet, in quibus unitas generica nulla est. Atq; hæc haec tenus.

Π ΑΡΕΡΓΑ.

I.

**R**atio an debeat prævalere experientiæ quæritur? Aristoteles i. Metaph. videtur Empyricū Theoretico præferre: Galenus Theoreticū illi, cū quo & Rassis sentire videtur; nobis placet distinctio Averrois.  
**II.** Tria sunt præcipue Methodi vitia: In Divisionibus λεπτογραφία & καρνατημία. In Definitionibus φιλοεργία. In Regulis κονότης & κενότης. Primum notavit Plato, alterum Galenus, tertium Duarenus Jctus.

III.

III. Quod Aristoteles 2. Phys. c. 8. t. 86. dicit, ἡ τέχνη & βολεύεται, Ars non consultat, non est in universum de omni arte accipiendo, aut certè aliquibus circumstantijs est restringendum.

IV. Mirum est, quod Aristoteles 8. Phys. c. 5. t. 43. dicit: Απόμενα τε ἡ τοι αἱμφω σίλληλων, η δαπέδες δαπέρον: h.e. quæ quidem aut sese mutuo tangunt, aut alterū tangit alterum. Quid enim? Estne contact⁹ aliquis non mutuus.

V. Idem Philosophus 1. de Cœlo c. 6. t. 44. Οελσμένης τοι τοι μέσης, καὶ τὸν ἄνω τόπον ανάγκη ωρίας. Medio finito superiorem quoq; locum finitum esse oportet. An id universalē, ut, medio finito existente, finita quoq; sint extrema? Non videtur: Tempus statuit Aristoteles infinitum, id solum de extremis capiendum, præterito & futuro; mediū autem nō vū sive præsens est finitum.

F I N I S.

---

In honorem Doctissimi Domini  
Respondentis.

Proficit in castris multum stratiota peritus:

Plusquam qui arma miser bajulat innumera.

Proficit in castris Musarum plurimum & ille,

Curtam qui methodum novit Aristotelis

Paucula Philosophi sunt dogmata & ejusmodi nostri:

Quæ ZUBER brevitradita fasce refers.

Hæc cui commendata forent studiose, magistrum,

Tractandæ Sophies dixero næ egregium.

Non quem delectant documenta Scholastica Moffreth,

Seu Scote, seu Bricoth, seu tua Buridaþne.

Thassus inexhaustus scirpum Sorbona tuorum:

Ingenium sapiunt; non animum erudiunt.

Gnavus

*Gnavus Aristotelis qui sese abscondidit hortis:  
Huius Ars, huic perpes gloria adesse solet.  
Debiti amoris ergo f.*

Philippus Carolus.

---

*In honorem literatissimi atq; ornatissimi Dn.  
NICOLAI ZÜBERI, publicè disserturi.*

**N**on in plomo virtus jacet alma cubili:  
Nam nec Bacchus nec Venus uda creat.  
Ast parit hanc castæ conjuncta modestia uitæ,  
Strenuus & durâ sedulitate labor.  
Quam quia cum primis ZUBERE secutuses annis  
Intrepidus meritò laudis honore clues.  
In cæpto cursu quapropter pergit: namq;  
Phæbus sic ausis annuet ipse tuis.

Hieronymus Siderius Francus LL. Stud.

---

Ornatissimo atq; Doctissimo Viro Juveni, Dn. NICOLAIO ZÜBERO consalino suo suavissimo, de Modis in-  
vestigandæ Definitionis disputanti.

**M**axima laus hominis Musarum castra sequentis;  
Eximij nomen ducere Philosophi.  
Maxima laus simul est hominis Logices studiosi:  
Eximij nomen consequier Logici.  
Respicis huc igitur ZUBERE suavis amice:  
Dum συζητῶν sedulus hancce subis.  
Pergeita: proposito minimè frustraberis: imò  
Ex voto surget, laus tibi, grande decus.  
Bonni Ominis & amoris  
ergo scripsit

Georgius Plancus Am-  
bergâ Palatinus.

F I N I S.

Coll. diss. A. 89, misc. 46